

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS

<sup>DE</sup>  
HYDROPE  
ASCITE.

Hanc

jussu & autoritate Facultatis Medicæ

in florentissima Salana,

PRAESIDE

VIRO NOBILISSIMO, EXCELLENTISSIMO

EXPERIENTISSIMO,

DN. GUERNERO ROLFINCIO,

Phil. & Med. Doct. & Prof. Publ. suprâ

laudem posito, Academiae Seniore gravissimo,

*Domino Praeceptore & Patrono aeternum devenerando,*

PRO LICENTIA

summos in arte medicâ honores, privilegia & insignia

Doctoralia solenniter consequendi,

*publicæ & placidæ ventilationi subjicit*

CHRISTOPHORUS HENRICUS RUPERTI

ALTENOVIENSIS CHERUSCUS,

*In Acroaterio magno*

ad diem Octobr. Anni M D C LXXII.

*Horis ante- & post- meridianis.*

JENÆ,

Typis SAMUELIS KREBSII.

Pathol. spec.

488,98

*R. Walther*  
*Nov. spec 1730*

*J. M. M.*

REBELL



CAPUT I  
prooemium continet.

**L**iter affectus infimi ventris, qui furioso impetu vitam sanitatemque nostram ferunt & oppugnant, non postremum sibi vendicat locum periculosissima illa hydropis species, Ascites; partes nutrimenti elaborationi, destinatas lædens. Hujus nunc famosissimi partibusque humani corporis infestissimi morbi naturam paucis hisce pagellis eruere tentabimus, locoque exercitii inauguralis, annuente summo medicinæ conditore, ac consentiente gratiosissimo in celeberrimâ hâc Salanâ Facultatis medicæ Senatu, pro ingenii nostri tenuitate proponemus.

Varii quidem varias de hoc morbo fovêre sententias, hinc diversæ definitiones & diversa ad morbi atrocitatem debellandam remediorum genera excogitata.

Nobis itaque non vertetur vitio, si & nostram in medium proferamus sententiam, illamque exacto eruditorum examini subjiciamus.

Hoc ut felicius expediamus, functionumque laboratarum naturam, & causæ veræ eruamus, ex quibus quilibet homo constet, nobis erit probè perpendendum.

Corporis enim humani continentes partes multifariæ, singularumque affabrè concinnata structura, & cum aliis communio atque communicatio admirabilis est, quin

& contenta multiplicia eorundemque qualitates varia,  
per experimenta anatomica manifestantur.

Affectiones verò ex rerum quarumvis abusu hydro-  
pico accidere solitæ, observantur accuratè in praxi medi-  
ca, medicisque ad omnia, quæ ipsis occurrunt innotescunt  
luculenter.

Cunctarum denique naturalium rerum ad alteratio-  
nem facientes vires, & agendi patiendique modos, atque  
adeò sensiles mutationum naturalium omnium & singu-  
larum causas, patefaciunt, experimenta chimica, utpote  
circa naturales, artificio licet institutas, rerum naturalium  
mutationes occupata.

Hauriemus proinde pro ingenii nostri tenuitate ex  
laudato hoc triplici experimentorum fonte, quicquid ad  
intricatam hujus affectûs naturam extricandam profere-  
mus in medium.

Largiatur nobis Altissimus de cœlo Deus suam cle-  
mentiam, & incœptis nostris faveat. In hujus nomine &  
auspicio ponimus

## C A P U T I I

### definitionem ὀνοματώδη exhibens.

**H**æc tribus absolvitur capitibus: ὁμωνυμία, συωνυ-  
μία καὶ παρωνυμία & ἔτυμολογία.

Hanc quod attinet, præsens affectus ascites seu  
utricularis audit, ἀπὸ τῆς ἀσκῆς, *ab utre*: aqua enim in ventre  
tanquam in ἀσκῶ *utre* continetur, quæ liquidorum more  
cum levi fluctuatione ad latera movetur, uti bene adver-  
tenti occurrit. Impressi digiti vestigia pedes retinent.

ὁμωνυμία examinantes diversas invenient species;  
modo

modo enim ab humore seroso carni in ambitu corporis  
adhærente, sed nequaquam assimilato totum occupatur  
corpus, & anasarca, à pituitoso autem magisque viscoso  
leucophlegmatia nomen obtinet.

Quando autem abdomen cum cruribus & ab utro-  
que vel priore saltem seroso nimirum humore occupatur,  
libenterque cedit tactui, Ascites, à flatibus verò simul ur-  
gentibus subito tumens pulsatum tympani sonum edit, &  
tympanites nuncupatur.

Rarò enim flatus tympanitem efficientes solummo-  
dò in abdomine; sed plerumque aquæ permisti, nec sem-  
per in abdominis cavitate, verum etiam aliquando in inte-  
stinis solummodò continentur, uti crepitus erumpentes &  
hinc subsequencia indicant levamina.

STNONTMORUM non adeò frequens datur numerus.  
Græcis ὑδρωψ ab ὑδωρ vel ὑδερ & ὤψ *aspectus* appel-  
latur. Est enim manifesta, quædam humorum effusio, un-  
de corpus intumescit. Hoc generali nomine tam Græci  
quàm Latini & Germani quamlibet hydropis speciem non-  
nunquam indigitarunt. Sic apud *Lucam 14. cap. καὶ ἰδὲ*  
*ἄνθρωπος ἦν ὑδρωπικός, & erat quidem hydropicus. Hor.*  
*Od. 2. lib. 2. Carminum.*

*Crescit indulgens sibi dirus hydrops,*  
Germani hæc vel illâ hydropis specie correptum vocant,  
einen *Wassersüchtigen*/morbumque *die Wassersucht.*

### C A P U T I I I

definitionem *παραματώδη*  
subjungit.

**A**scites est tumor præter naturam partium corporis in-  
feriorum ab humore seroso, ut & interdum viscoso  
extravasato ortus.

A 3

οἴδημα

*Oidema* & *Quasi* *Quasi* notanter dicitur, quoniam non  
omnis tumor nec excreſcentia quævis, nec vel partis vel  
totius augmentum ad tumorem præter naturam ſtatim re-  
ferendum.

Obeforum & gravidarum nonnullæ actiones qui-  
dem ſunt impeditæ, ſine læſione tamen & doloris perce-  
ptione, cùm contrà tumorem p. n. varia conſequantur  
ſymptomata.

Uti in aſcite quidem gravi, ita in uteri geſtatione ſub-  
limi ſentitur reſpirationis difficultas, in hæc autem ob fœ-  
tum & cauſam naturalem, in illâ verò ob humorem nimis  
copioſum extravasatum, & ſic cauſam præternaturalem  
ibi exiſtenteſ; ſicque ob ſpatii in abdomine defectum  
diaphragma deorſum ſe ſatis explicare nequit.

In fœminis ventris tumor accuratè diſtinguendus &  
examinandus, ſic novi quandam, quæ ſe gravidam putabat,  
cùm tamen aſcite laboraret.

Diximus eſſe tumorem partium corporis inferio-  
rum, de tumefcentibus ſuperioribus, inferiores intum-  
meſcunt.

Variat autem iſte tumor pro diluvii varietate, prout  
nimirum plus vel minus humoris ibi exiſtit, eò major vel  
minor redditur tumor.

#### CAPUT IV

### ſubjectum exponit.

**H**Oc eſt abdomen & quidem interna ejus cavitas inte-  
ſtina continens, hæc ob membranofam ſubſtantiam  
extendi & dilatari poſſe, notum eſt.

Cùm verò omne fluidum difficulter contineatur  
terminis ſuis, humor in abdomine contentus, pro majore  
fui

fui copia interstitia quælibet occupat, & per spatia subcutanea in partes decliviores, scrotum & crura, quasi cuniculis factis defluit, & ibi tumorem parit.

Ut plurimum tamen tumor pedum præcedere solet, qui non æquè à seroso quàm viscoso humore, cum sanguine per vasa capillaria ad extremam cutim delato, & inter musculos cutimque secreto, ortus videtur; impressi enim digiti vestigia retinent pedes, quod à seroso humore haud fieri existimo.

Huc accedit pituitam à sanguine segregandi facilitas, uti pituita in cerebro secreta, & per nares sæpissimè excreta indicat.

Quoniam igitur partes inferiores, & præsertim abdominis interna cavitas est locus, in quo serosus, & pedes, præsertim inter musculos & cutim eorum, ubi plurimum viscosus humor colligitur, disquirendum venit, unde uterque humor, & quænam extravasationis utrorumque causa? quam intricatam multisque dubiorum anfractibus refertam controversiam, ut felicius extricemus, in consilium & auxilium vocabimus anatomen, partes in quibus, & causas à quibus secundùm naturam singulæ operationes fiunt, reagentem, & chymiam primariam omnium mutationum artem, & in quibusdam, si dicere fas sit, naturam ipsam superantem.

Cognoscet enim illas nemo, qui partes in quibus, & causas omnes, à quibus secundùm naturam singulæ functiones fiunt non præcognoverit. *Οἱ ἰητροὶ ἀμαρτάνουσιν ὅτε ἀτρεκέως πωθανόμενοι τὴν πρὸς τὴν φύσιν τῆς νόσου; falluntur Medici cum morbi causam non exactè investigant, inquit Hippocr. l. 1. de morbis. Is enim optimè curat, quem causæ origo non fefellit: καὶ ἀνερωτῶν ἀντίκα ἀτρεκέως τὸ αἴτιον, Confestim exactè causa est pervestiganda.*

CAPUT

## CAPIT V

De

### causis & modo delationis pituitæ in pedes, & feri in cavum abdominis.

**P**ituitæ ad pedes delatæ causa est sanguis admodum viscosus, à chylo simili ortus, qui talis redditur ob feri partisque fluidioris in abdominis cavitatem, partim per transcolationem, partim per vasorum ruptionem factam, separationem, uti in sequentibus porrò dicetur.

Qui sanguis viscosus, cum non tam benè per venas ascendere, quàm per arterias descendere queat, antequam ex arteriis in venas redit, pituitam inter cutim & musculos, (unde etiam pedes prementis vestigia retinent) secer- ni arbitror; quando enim in æquali cum toto corpore ferme sunt situ pedes, tunc minus ac si pendeant, tument, sic nocturno tempore detumescunt diurno verò intumescunt.

Causam collectionis aquarum in abdomine statui- mus ibidem & rarefactionem nonnullorum vasorum & imprimis lacteorum.

Rumpuntur autem vasa ob nimiam illorum disten- tionem, vel eroduntur ac rarefiunt ob humoris contenti acrimoniam.

Nimis distenduntur vasa, quando per carneam inte- stinorum crustam percolatus, & in lacteas venas admissus, in uno pluribusvé locis in motu suo non tantùm impedi- tur atque lentius pergit, sed planè sistitur stagnatque chylus.

Chyli



Chyli verò per venas lacteas motus impeditur, quando viscidior ac tenacior existit, ob alimenta similia copiosius diutiusve usurpata, planè autem sistitur in suo motu stagnatque in lacteis vasis chylus, quando eadem sunt obstructa, & quidem nunc à prædicto chylo viscidior in ipsis coagulato; nunc à pituitâ intestinali in ipsa propulsâ & ibidem coagulâtâ.

Quoties verò à rebus non naturalibus, corporis nimium motu, aut exercitio vehementi, aërisve æstu qualicunque, solis, ignis, aut balnei, &c. ut & aliquando à febrili ardore, aliisque tunc simul in corpore concurrentibus solvitur; atque imprimis accedente potu calente, tepido dissolvitur, aut nimis copioso diluitur pituita intestinalis, sicque fluxilis fluidaque reddita in lacteas venas propellitur, in quibus iterum coagulatur pituitâ, ut & chylus viscidior, rarius quidem ab aëris frigore mox calorem subsequente, quando nimium ex loco calido transfertur corpus in frigidum, ex balneo in cellam vel liberum aërem boreâ perflatum, venterque minus tectus per poros apertos frigus acre tunc admittit; frequentius verò à potu frigido affatim assumpto, mox ad intestina properante, atque tum ipsa intestina tum partes vicinas omnes, ipsaque adeò lacteas venas non tantum potenter refrigerante, verum contenta quoque in ipsis incrassante & coagulante.

Coagulatis hoc modo in venis lacteis vel chylo viscidior, vel pituitâ intestinali; factâque in ipsarum ramis pluribus vel paucioribus obstructione, sistitur & stagnat mox in iisdem, quicquid ex intestinis, vel liquoris ex continuo bilis, succi pancreatici & pituituæ salivalis confluxu orti, vel chyli, vel potus tantum copiosè hausti propellitur in ipsas; quin idem easdem sensim magis ma-

B

gisque

gisque eousque distendit, ut tandem rumpantur vasa illa tenellula, ac per consequens, aut prius inter mesenterii membranas, aut mox in abdominis cavitatem effundatur multiplex illa humiditas ipsis excepta & in motu suo intercepta.

## CAPUT VI

### causas mediatas remotiores exponit.

**H**Anc *Francisci de le Boe Sylvii, Professoris Lugduni Batavorum celeberrimi, quondam Praeceptoris mei aeternum venerandi*, de hydropis ascitis generatione opinionem secutus. Porro statuo, inter RES NON NATURALES hydropem ascitem producentes multum tribuendum esse AERI, quatenus nimirum nimis frigidum & siccum, statim consequitur calidus & humidus. Quantas enim mortalibus, praeter hunc affectum etiam alias noxas afferat, si frigidissimam hyemem, imprimis flante ut plurimum boream excipit ver nimis calidum & humidum, experientiam quotidiana est notum. Nam tunc accumulata & tenacior facta pituita, nimis subito a calore veris incisa, & simul ab aere humido diluta, ad sanguinem per venas lacteas propellitur, in quibus facile a causa aliquam frigidam incrassari, obstructions facere, & hoc malum etiam producere potest.

Simile iudicium ferendum de AUTUMNO frigido nimis calidam AESTATEM excipiente. τὸ ἢ φλέγμα τῆς θερίας ἀσθενεστερόν ἐστὶν αὐτὸ ἐωυτῶ. *Pituita astate debilior seipsa est*, scribit *Hippocr. libr. de humana nat. XIV*. Deus igitur Opt. Max. nobis vicissitudines temporum benignè largitus

tus

tus est; Ne nimis subitæ fierent mutationes. Quàm periculosa enim hæ sint, inter alia historia *2. Curtii* de Alexandro Magno, indicat. Pulvere, *inquit lib. 3. c. 5.* & sudore simul perfusum Regem incitavit liquor fluminis, ut calidum adhuc corpus ablueret. Itaque veste depositâ in conspectu agminis descendit in flumen, vixque ingressi subito horrore artus cœperunt; pallor deinde suffusus est, & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit.

Subitas mutationes summè esse noxias, non ignoravit Dionysius Tyrannus, qui super carcerem tenebricosum domum exstruxit splendidissimam, ut homines è carcere illo tenebricoso in hanc subito ductos, subdolè occœcarent.

RARIUS CIBI frequentius POTUS copiâ fomitem subministrant.

QUANTITATE peccans potus nimis diluit pituitam, facitque justò fluidiorem & ad venas lacteas propellit, in quibus à causâ aliquâ externâ iterum coagulata, nunc plures nunc pauciores facit obstructiones, à quibus continuo admissus liquor in motu suo impeditus, vasa nimis distendit, distentione sic nimiâ factæ ruptiones ascitem producant.

QUALITATE peccans potus, & corpore adhuc valdè calente, sicque à calore pituitâ incisâ & ad venas lacteas delatâ, nimis gelidus assumtus, non potest non huic malo ansam dare: coagulata enim iterum in vasis lacteis à frigore potus pituita, obstructiones facit, unde chyli motus ad cisternam sive commune ductus thoracici receptaculum circa lumbos situm impeditur, à continuo igitur in vasa illa tenellula admissio liquore, ita dilatantur, ut rumpi tandem necesse habeant.

Tàm QUANTITATE, quàm QUALITATE peccans

cans potus, hoc malum accelerat: nimius enim SPIRITUS VINI usus, præsertim matutino tempore assumtus; suâ volatilitate, oleositate, & acrimoniâ, non tantum humores viscosos incidendo fluidiores facit, unde ad vasa lactea propelluntur, sed etiam bilem reddit volatiliorem, uti nemo facilè inficias ibit, qui per chimiam edoctus fuerit, unius spiritus volatilis ope omnia fixa reddi volatilia.

BILIS autem VOLATILIS facta non ad intestina per ordinarium suum ductum, (nullum enim reverà quoties hydropici cadaveris sectioni Lugduni Batavorum interfui, fermè vestigium ullius bilis in vesiculâ vidi) sed per hepaticum ad sanguinem defertur, atque hunc insuper vitiat, nutriendoque corpori ineptum reddit, icterumque flavum primùm producit: ille enim plerumque hydro-pem ascitem præcedere solet; nihil obstat salivam quoque simul reddi plus minus salsam, vel acrem, sitimque minus temperantem, quin augmentem.

Ob bilis itaque in tenuibus intestinis defectum, non ritè secernitur chylus à fecibus alvinis; illa enim protrusis per pylorum ad intestina alimentis secundum naturam debet commisceri, idque tam ad promovendam ex fermentatis alimentis chyli à fecibus alvinis separationem; quàm adjuvandam pituitæ intestinalis ex prædictis omnibus secretionem. Unde quoties malè habet, aut desideratur bilis, toties læditur variis modis, & chyli ab alvinis fecibus, & pituitæ à subministrantibus ipsam materiebus secretio; quare non solum pituita à potu nimis diluta, sicque transcolata facit in venis lacteis obstructions, sed etiam ventriculi fermentum suâ viscositate obtundendo & infringendo aufert. Unde illi lænei Heroes matutino tempore hoc spiritu vitæ (potiùs tum mortis) ita prægravati propter bilem volatilem factam, fermentumque sic obtu-

obtusum redditum, nihil ferè nec appetunt, nec comedunt, sicque cum Cerere divortium faciunt.

MOTUM & QUIETEM huic malo fomitem subministrare posse est compertum: ab exercitio enim corporis nimis valido & hinc excitato calore inciduntur humores viscosi ac tenaces in intestinis hærentes, simulque propelluntur ad vasa lactea, ubi à potu copioso & præsertim gelido ob sitim à motu ortam, ingurgitato, iterum coagulantur in vasis illis tenuibus, nonnullaque obstruunt, quæ obstructa à potu copiosè in illis admissio & in motu sic impedito dilatantur nimis, & rumpuntur, unde liquor in illis contentus effluit, & in cavitationem abdominis influit, ascitemque progenerat.

A QUIETE verò immodicâ, cruditates, excrementa, & pituita, augentur, & hinc primò cachexia, quam facilè hydrops ascitis excipit, generatur.

SOMNUS & VIGILIAE, si modum quoque excedunt, malum; à vigiliis enim nimis spiritus præsertim animales consumuntur, corporis vires magis magisque labefactantur, humoresque redduntur acriores, qui acriores facti, viscosos incidunt, & huic malo fomitem subministrant. Somnus verò torpidos reddit spiritus, cumulatque pituitam.

EXCRETA & RETENTA, si retineri quæ debent in corpore, præter modum excernantur hydrops accidit, ὅτι ἐξ αἰμορραγιῶν ἐξιδερῶνται. *Quod ex sanguinis eruptionibus aquâ intercutem corripuntur.* Id tradit Hippocr. 6. epid. sect. 4. propter sanguinis enim effusionem qualemcunque notabilem refrigeratur corpus, humoresque incassantur, facileque tunc fiunt obstructions, & consequenter ruptiones. Novi nobilem matronam, cui ob immodicum lochiorum fluxum hydrops ascites contigit.

Largæ

Largæ sanguinis effusiones, nisi cum ægri levamine acci-  
dant, aut criticæ sint, sisti debent.

EXCERNENDA verò si retineantur, vitiosi in cor-  
pore cumulantur humores, qui non possunt non huic ma-  
lo ansam dare.

ANIMI denique PATHEMATA *ἀμετεγ* præsertim  
tristitia & mœror, uti ex historia de hydropico à nobilissi-  
mo *Rolfincio*, patrono & præceptore meo filiali cultu ob-  
servando, *ordin. & meth. med. spec. conf. lib. 8. conf. 9.* re-  
censitâ, est notum, occasionem præbent: ab iis enim pi-  
tuita intestinalis augetur. Ab irâ contra nimis incidun-  
tur crassi & tenaces humores, ob bilem tunc nimis copiosè  
ad intestina fluentem, uti ex subsequente ut plurimum alvi  
fluxu est videre. Quàm noxius itaque sit irato potus ex-  
perientia testatur: incisi enim tunc tenaces & viscosi hu-  
mores, simulque à potu assumpto diluti, propelluntur ad  
vasa lactea, ibique faciunt sæpiùs obstructiones, vel nimiâ  
cum bile mixti liquores ad sanguinem delati, illum cor-  
rumpunt, variosque excitant affectus.

## CAPUT VII

### causas exponit præter- naturales.

**I**Cterus, cachexia, & febres ardentes, urgente nimirum  
siti, junctæ, indeque potu multo ingurgitato sæpius in-  
trâ triduum ob pituitam intestinale tunc dilutam, &  
ad lacteas diductam venas, inque illis sic obstructionem  
causantem, ascitem producant.

In cachexiâ verò, cum qualitate peccet corporis nu-  
tritio, macrescit & contabescit nonnullis corpus univer-  
sum;

sum; sicut idem aliis sensim turget ac tumet; fitque à seroso humore anasarca, à pituitoso magisque viscoso leucophlegmatia, & ab utroque priore saltem (hi enim plerumque in illa peccant) quando abdomen cum cruribus occupatur, ascites.

In ICTERO à chylo alvinarum fecum secretio ob bilis vel absentiam, vel inertiam deficit. In illo enim interdum ita corrumpitur bilis, ut quamvis restituatur ipsi transitus ad intestina, permaneat tamen longo tempore, non tantum aurei coloris, sed insuper cachexiæ & quandoque tabis atque hydropis noxa: nam universam corrumpi bilem in ictero, quædam venena icterum brevi producentia viperæ morsus &c. ut & alvi excrementa albican- tia, aut cineretia, nec uti solet à bile varia tincta arguunt; hinc chylus non ritè præparatus vel nimis viscosus, inque venas lacteas propulsus facit obstructions, & consequenter ruptiones, indeque ascitem.

## CAPUT VIII

### differentias ostendit.

Quamvis ex supra dictis, ut plurimum constet, quænam hujus affectus sint differentiæ, ut tamen ordo serve- tur, breviter eas hisce complectemur.

Sunt autem MATERIÆ vitiosæ respectu variæ hydropis species, quæ *cap. 2.* enumeravimus. MAGNITU- DINIS ratione datur tumor intensus & mediocris.

Ratione GENERATIONIS, alius lento incedit pe- de, alius à *ἄρρωστος* irrui. DURATIONIS intuitu alius est in- veteratus & consummatus, alius est recens & incipiens. Accidentium respectu alius est simplex, alius compo- situs.

SUB-

SUBJECTI ratione alius solum abdomen, alius simul pedes occupat.

Pro CAUSARUM diversitate morbus variat, & totuplex est, quot causæ.

## CAPUT IX

### signa proponit diagnostica.

**H**Æc dùm morbi speciem, tum magnitudinem & morem indicant, multum ad veram de veris affectionum quarumvis causis ratiocinatione catenatâ indagandis, ac inde curationi ægrotorum debitè ac secundùm experientiam feliciter instituendæ viam monstrant

Falluntur & ægris injuriam insignem faciunt, qui putant curari posse ullos ex arte morbos, neglectis gravibus, ideoque urgentibus ipsorum symptomatibus; quæ volunt omnia morbis primariis curatis spontè cessare, cum tamen ob negligentiam à symptomatibus gravibus sæpius priùs ægri, quàm ipsorum morbi à medicamentis tollantur.

Adde, quod medicamenta symptomatibus quibusvis tollendis minuendisve convenientia, emendent, corrigantque humorum vitia partiumve solidarum à quibus pendent immediatè ista symptomata. Tolluntur ergò simul morbi dum tolluntur symptomata. Eorum igitur & hîc exactè habenda est ratio.

Adest primò universi corporis & crurum præsertim lassitudo, quam à sanguinis massâ depravatâ oriri arbitror.

Urget non rarò pressans & angens cordis dolor, qui post assumpta alimenta intendi solet, cujus causa itidem sanguinis massa corrupta, ut & halitus austeri & acres in  
tenui



tenui intestino ab effervescentiâ vitiosâ orti, & simul cum chylo ad sanguinem & consequenter ad cor delati, esse videtur.

ALVUS est astricta, ob bilis vel volatilitatem, & sic in intestinis deficientis, vel ob inertiam, sicque pro more excrementa non incidentis.

Pauca redditur URINA, ob partem liquidiorum in abdomine à chylo separatam, & per rarefacta aut rupta vasa ad cavitatem abdominis delatam, & per consequens ob sanguinem crassiorum magis consistentem, parùm vel nihil seri in renibus secernitur.

SITIS urget ob bilem sanguini nimis mistam, salivam falsam & acrem reddentem.

Non tantùm MACIES, sed & TABES totius adest corporis, hæc verò in inferioribus corporis partibus obscuratur ab humore; uti illo aut dissipato aut extracto apparet; tunc enim vix hærent ossibus.

TENSUM est ABDOMEN ob diluvii augmentum.

RESPIRATIO contingit difficilis diaphragmatis culpâ, quod ob idem diluvii nempe augmentum, spatii-que sic in abdomine defectum deorsum satis explicari nequit.

## CAPUT X

De

### Prognosi.

Quamvis in morbis chronicis, imprimis verò in acutis incertum sit salutis & mortis prognosticum, tamen medicus ad omnia, quæ ægro accidunt probè attentus futura prædicere potest.

Quinam enim vel salutis vel mortis modus futurus  
C sit,

fit, si morbi speciem, magnitudinem, morem, motum & eventum, ut & laborantem probè consideret, sæpius indicabunt.

SPECIEI ratione, non est affectus per se lethalis, præcipuè in mediæ ætatis hominibus, quibus ut plurimum familiaris est. Minus enim periclitantur, quorum naturæ & ætati conformis est morbus, *inquit Hippocr. 2. apbor. 34.* Ἐν τῆσι νόσοισιν ἤσασον κινδυνώσασιν, οἷσιν ἂν οἰκείη τῆς Φύσεως καὶ τῆς ἕξι<sup>ς</sup> καὶ τῆς ἡλικίης, καὶ τῆς ὥρης ἢ νῆσ<sup>ος</sup> ἢ μακρόν, ἢ οἷσιν ἂν μὴ οἰκείη κατὰ τὰ τέλει. *In morbis minus periclitantur, quorum natura, & ætati, & habitui, & tempori morbus magis affinis fuerit, quàm hi, quibus non affinis in aliquo horum existit.*

Quoties redundant humores vitiosi, præsertim si simul acres fiunt imminet periculum; acrimonia enim partes adjacentes faciliè corrodit (uti aliquoties omentum in ejusmodi cadaverum sectionibus, totum fermè corrosum Magnus Sylvius præceptor quondam meus æternùm honorandus nobis ostendit) facitque affectum incurabilem.

Τοῖσιν ὑδρωπικοῖσι βῆξι<sup>ς</sup> ἀπικυρωμένη κακόν. *Hydropicis tussis accedens malum.* Nam indicat ut plurimum humoris acrimoniam, præsertim si internè dolores & externè pustulæ, ut & febriles accessus superveniunt: Rectissimè *Rolfincius, Præceptor & Promotor meus nunquam pro dignitate satis honorandus, ord. & meth. med. spec. consult. 9.* Nul- lus, *inquit,* hydrops unquam curatur, quùm febris est conjuncta; ut plurimum enim in iis dissectis inflammatio intestinorum deprehenditur. Vires si satis validæ sint, ut nimirùm longas & fortes purgationes aquæ per alvum sudorem & urinam tolerare possint, bonum est, *momente eodem clarissimè ord. & meth. med. spec. consult. 9.*

Super-

Superabilis hic affectus est, si non foveatur à scirrho jecoris. Quale scirrhosum jecur *Nobilissimus Drelincurtius præceptor meus plurimum observandus* in hospitio meo Leidensi, tunc temporis in evisceratione cadaveris ostendebat.

PULSUS, si satis laudabilis nunquam febrilis, bonum est.

Ad oblata benè se habentes & cibum appetentes facilius liberantur; *teste Hippoc. sect. 2. aphor. 32. ὕστερον ἢ ἔσσιόντες βέλιον ἀπαλλάσσουσιν.*

ALVUS ritè respondens & URINA boni coloris naturali similis, spem salutis adaugent.

A JUVANTIBUS & nocentibus potissimæ fermè sumuntur *αἱ προδιαγορεύσεις prædictiones*. Sic evacuationes arte factæ humorem serosum evacuantes per alvum, sudorem, urinam, insensibilem transpirationem, magnum levamen afferentes, bonum signum præbent. *Hippocrate 2. aphor. 33. teste. Ἐυ ἔχειν πρὸς τὰς προσφορὰς, ἀγαθόν, τὸ ἢ ἐναντίον κακόν; Benè se habere ad ea, quæ exhibentur bonum, contrarium verò malum.*

## C A P U T X I.

### ex pharmacia medicamina.

AD ascitis curationem transeamus, si ullibi, certè hic observandum accuratè aureum illud, disticho sequenti propositum, præceptum:

*Principiis obsta serò, medicina paratur  
cum mala per longas invaluerè moras.*

Nisi enim succuratur in tempore asciti, antequam humor nimirum extravasatus fit acris, actum est: Nam corroduntur partes membranosa, omentum intestina &c. & sic cor-

rosarum partium fiunt inflammationes, quas certò mors consequitur: Fieri autem acriores possunt humores exhalatione partium volatilium, eos non amplius temperantium. Partes volatiles corrigere acrimoniam non tantum chemicis, sed etiam œnopolis vina acescentia sulphure corrigentibus notum est, quàm facilè verò exhalent partes volatiles idem vinum vel cerevisia, levi tantum fornacis vel solis saltem calori exposita, hincque acrior facta indicabit.

Ascitis tota curatio consistit in humorum pituitosorum & viscidorum correctione, in abdomine jam tum collectorum serosorum educatione.

Obstructio itaque in venis lacteis à prædictis causis contrariis se mutuo excipientibus jam facta, curabitur medicamentis potenter incidentibus, præsertim sudoriferis aromaticis, potiùs iteratò quàm simul ac semel tantum assumtis: sic enim feliciùs, faciliùs, citiùs & tutiùs solvuntur obstructiones.

Aquæ sudorem provocantes sunt, sambuci, cardui-benedicti, petroselini, cochleariæ, fumariæ, theriacalis recentis, ut & omnes ferè aromaticæ aquæ: sic eliciunt quoque sudorem & diaphoreticum,  $\ominus$  absinthii, C. C. philosophicè calcinatum &c.

Usurpari proinde poterit in hunc finem mistura sequens intervallis brevibus ad sudoris eruptionem usque cochleatim assumenda, quin eodem prodeunte subinde adhuc, licet rariùs, exhibenda:

*Rx. aq. samb. cochl.  
 theriac. rec. acet. still. aa. ʒʒ.  
 ocul. S pulv. ʒʒ.  $\ominus$  absinthii  
 & diaphor. aa. ʒj. syr. card. ben. ʒj.  
 M. D. in fictili. S. Schweiß Mixtur.*

Quod

Quod si pulveris forma ab ægro præferatur, sequens erit  
conveniens:

℞. ʒ diaphoretici                    C. C. sine igne    āa. ʒβ.  
      mag. spin. vip.                    oleosacch. citr.    āa. gr. v.  
      M. D. in charta.                    S. Schweiß Pulver.

℞. ▽ sambuci                    card. ben.    āa. ʒij.  
      theriac. rec. ʒj.                    M. S. Wasser zum Pulver.

SUDORES in hunc finem elicientur utiliter, tum  
per assumpta modò memorata & similia, tum præsertim per  
balneum humidum vel siccum simul conjunctum: Ma-  
gnam sanè morborum partem sudorum beneficio tutò  
percurari, notum est, adeò, ut nulla febris, cujuscunque  
sit moris, citra recidivæ, metum absque sudore evanescat:  
abstergit nimirum quascunque partium sordes, & resol-  
vit promptè sanguinem, quo ab omni coagulationis exem-  
tum impedimento, liberiori per suos canales feratur cir-  
culo, vivificoque rore omnes partes animet.

Postquam sublata fuerit venarum lactearum obstru-  
ctio spontè iterum coalescent, sicut accidit venæ sectæ.  
PER URINAM evacuatio humoris hîc quoque convenit.  
Scopo huic inserviunt  $\ominus$  genista,  $\ominus$  volatile  $\square$ , succini,  
\* &c.

℞. aq. petrosel. ʒij.                    absinthii ʒj.  
      sp.  $\ominus$  dulc.                    ʒj.  
       $\ominus$  vol.                     $\square$  \*    āa. ʒβ.

M. D. in fictili.    S. Urintreibende Mixtur.  
Est autem brevibus intervallis cochleatim assumenda.

Aquæ in abdominis cavitate ex variis humoribus  
per vasa rupta effluentibus collectæ, atque hydropem  
ascitem producentes loco peccantes loco isto movebun-

tur, tùm per dicta & similia sudorifera & diuretica, tùm per hydragoga potentia, tùm per paracentesin, de qua capite agemus sequenti.

POTIORA HYDRAGOGA sunt, ex *sambuco ebulo, succo ireos, ialappa radice, ex cortice radicis esula elaterio, & chrysopo* parata.

℞. *gialap. nigr. resin.* ℞.  
*magist. succi Indici purgantis* gr. iiij.  
⊖ *absinth.* gr. vj. M. F. pulv. D. in charta.

℞. Purgier Pulver auff einmahl.

Cui PILULÆ magis placent sequentibus ægri possunt uti:

℞. *extract. cort. rad. esul.* gr. xvij.  
*elaterii* gr. ij. *magist. g. g.* gr. iiij.  
*ol. cinam.* gutt. ij. M. F. pil. inauratæ nro. xv.

℞. Wasserführende Pillen auff einmahl.

Non tamen continua urgenda est evacuatio, sed potiùs his & similibus remediis incassum adhibitis, antequàm vires nimis prosternuntur per viam proximiorum humoris peccantis eductio est tentanda. Nullam autem tunc commodiorem & tutiorem arbitror, quàm quæ fit per paracentesin.

## CAPUT XII.

### Materiae præsidiorum ex chirurgiâ.

Chirurgica operatio, si fit in tempore in hoc affectu magni est momenti, omnibusque medicamentis efficacius præstat auxilium, riteque peracta periculo vacat, &  
non

non rarò intra octiduum ægrotanti desideratam restituit  
sanitatem, cum aliàs morbo hoc chronico, fatis diu vexetur,  
tandemque juguletur.

Instituitur in tempore *ἠδὲ κέντησις*, antequàm humores  
acquirunt acrimoniam, quam noxiam, morà humores in abdomine  
collecti, sicque in motu impediti, sibi comparant, atque paulatim  
contentarum partium omnium membranas, hinc & ipsam substantiam  
corrodunt & corrumpunt, affectumque incurabilem faciunt.

Morà humores præsertim fermentati fieri acriores vinum  
cerevisia reliquique arte facti liquores abundè testantur, si  
nimirum non tam arctè vasis includantur, ut spiritibus concedatur  
exitus, ipsorumque exhalatio calore exiguo promoveatur, tunc citiùs,  
& sæpius intrà triduum summè fiunt acres & acidí, uti aceta  
comparaturi norunt, in eundem finem suos liquores aëri calido  
exponentes.

Ritè fit paracentesis i. instrumento conveniente, convenienti loco  
applicato. Est autem illud acus argentea, cava, recens inventa,  
quæ in abdomen, & quidem quatuor circiter transversorum infra  
umbilicum digitorum, totidemque ad ejusdem latera immitti debet,  
factà hoc modo perforatione. Ritè porrò peragitur, quando paulatim  
non confertim per acum humor extrahitur. *τὸ κτὶ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενῶν, σφαιερῶν. Multum & repente evacuare  
periculosum*, scribit Hippocr. aphor. 51. s. 2. Acus igitur in abdomen  
immiffa post sufficientem aquæ emissionem, quam præter propter  
puto esse ℥ij. vel iij. & interdum plures pro ægroti videlicet  
constitutione, iterum extracta similiter alio tempore aut die in  
idem foramen intrudatur, nisi consultum videatur novum excitare  
foramen. Non plus nec minus, sed quantum humoris per ægri  
constitutionem licebit, hujus instrumenti beneficio,  
effluit;

effluit; eo enim educto nihil amplius erumpit, quin applicato emplastro non tantum contra omnes aëris externi injurias munitur locus perforatus, sed ipsius consolidatio promovetur.

Pessimè propterea sanitati ægrotantis consulunt, qui medicamentis parùm vel nihil proficientibus, nobilem hanc operationem tamdiu differunt, donec vires fermè sunt prostratæ, aut humorum accedat corruptio simulque acrimonia, tunc post administratum hoc salutare remedium vitam cum morte commutant: exteriores enim intestinorum tunicæ ab acrimonia læsæ, extracto humore aliàs contactum arctiorem impediendo, collabuntur, seseque ita invicem magis tangentes, citiorem producant inflammationem, mortemque accelerant.

Hujus evacuationis tempore *roborandum* est corpus ægroti, quod commodè fit medicamentis aromaticis præfertim aquis, uti sunt theriacalis simplicis, borraginis, cinnamomi, buglossi, fœniculi &c. NM. *in India vel Mospelio condita confectio alkermes* & similia medicamenta magnum hîc quoque habent usum, varianda tamen non nihil ratione symptomatum.

Venæ sectio hic non habet locum, nisi laborans sit simul plethoricus, quod tamen nunquam vel rarò admodum accidit.

VESICANTIA à nonnullis applicantur, quia autem plus periculi quàm præsidii afferunt, & valde insuper molesta sunt ab illis abstinemus.

### CAPUT XIII

#### cum fonte diætetico claudit.

**D**iætâ conveniente multa & gravissima incommoda possunt vitari, morbi que auctiones non rarò impediri;



diri; Sedulo itaque & in tempore opera danda est, ut illa exactè præscribatur. Consistit verò in rerum non naturalium vulgò dictarum legitimo usu.

Eligatur proinde **AER** temperatus, si naturâ talis haberi nequit, arte saltem parandus; nimis enim frigidus pituitam auget & incrassat, & novis, & periculosis obstructionibus ansam præbet; nimis calidus verò, spiritus animales dissipat, humores justò reddit fluidiores, exæstuantem accensum & rarefactum in corde sanguinem non temperat, aliaque creat mala.

**MOTUS** si fieri potest sit exiguus; à vehementiori enim abstinere coguntur, ob respirationem difficilem, hunc statim consequentem, motumque impediendum.

**SOMNUS** sit moderatus, ne vitiosis humoribus repleatur corpus & gravetur; **VIGILIAE** diutiùs protractæ humores omnes in corpore reddunt acriores, viresque prosternunt.

Vitentur alimenta cruda, crassa, viscida, salita, fumo indurata, fructus horarii: ab his enim fit chylus nimis viscosus, bilis, succus pancreaticus, & saliva, corrumpuntur. à **V** præsertim jejuno adhuc ventriculo omninò abstinenceatur: quia plures fiunt hydropici ex hujus quàm cerevisiæ aliique potûs abusu. Sic novi apud nos tornatoris infantem, cui mater loco jentaculi semper dedit panem spiritu vini imbutum, hinc bile volatili factâ in ascitem gravem incidens interibat.

Ut omnia ritè succedant, debent **EXCERNENDA** & excerni & retinenda retineri.

**ANIMI PATHEMATUM** maxima quoque habenda est ratio, cum magnam vim in corpus nostrum, testè quotidianâ experienciâ, habeant, horrendaque symptomata interdum producant. Vitetur proinde omnis tristi-


D

tia,

tia, moeror, &c. ira præcipuè, quæ instar hostis furiosi, totam fabricam atque œconomiam corporis subvertere valet. Si verò ab huic malo deditis illud obtineri nequeat, ne saltem operationis tempore iis nimium indulgeant, curandum.

Atque sic ad rem nostram cautiones pertinentes proposuisse arbitramur.

Faxit DEUS, ut omnia in sui gloriam, ægrotorumque emolumentum & commodum cedant.



## COROLLARIA.

### I.

**Q**uicumque purgantia medicamenta pro venenis habent atque diffamant, illi quid venena, quid purgantia sint, planè ignorant, purgantibus enim sæpius satis magni & desperati curantur affectus, ut qui unquam febres curaverit latere nequit.

### II.

Quæcunque fermentantur difficiliùs & tardiùs, ab alvinis fecibus secedunt segniùs, & chylum bonum cedunt parciùs; uti pisces marini, caro fumo indurata, nimis salita & pinguis, qualis porci existit, hæc quia simul dulcis, facile bilem, succum pancreaticum & salivam corrumpit; uti ex nausea, hujus carnis esum subsequente innotescit.

### III.

Absque Chimix cognitione, nec tutò, nec citò, nec jucundè curatur.

### IV.

Non datur nec dari potest alkahest.

Inter-

**N**tercus Nereus pelli quei  
corpore possit,  
artis Apollineæ vi super-  
ante, doces.

Sic docet exilii soboles Neptunia  
multam:

Liber at à tantis fluctibus æger  
ovat.

Euge! Hinc exsurgent Medicæ fa-  
stigia famæ,  
perpetuusque Tibi facta repen-  
det honor.

*Boni ominis, faustæq; gratulat. ergò scribeb. Nobi-  
liss. & Experientiss. Dn. DOCTORANDO,  
Condictori & Amico honoratissimo*

**CASPAR POSNER,**  
Natural. Prof. Publ.

---

**Q***Vos cernis plausus, ævi melioris imago,  
hos dudum dotes promeruere tuæ,  
Optime Ruperti, quem multa scientia ditat,  
atque cui nervos debet Hygea suos.*

*Te*

*Te summa laudis, si celsior ire parabis,  
destituent apices: Nominis altus apex.*

Meritissimis honoribus Viri Nobilissimi & Clarissimi,  
DN. DOCTORANDI, Fautoris mihi honoratissimi &  
Commensalis suavissimi adplaudebam ex animo

*M. Valentinus Belthem/  
Moral. P. P. Ord.*

---

**U**T, qui munitâ vult hostem pellere sede,  
& devastantis frangere robur amat,  
hostiles animos pernosse, locumque cupitum,  
instructumque viris fortibus esse decet;  
sic quoque languentium quicumque expellere diros  
affectus medicans corpore ritè volet,  
indaget causas prius, ingeniumque, thronumque  
morbi, dein medicas afferat huicce manus.  
His observatis cedit feliciter omnis  
cura mali, spretis nilus inanis erit, (tem  
Hanc cum te methodum videam servare meden-  
Hydropi, FRATER, spondeo, prosper eris:  
atque tuis gratans sublimibus ausibus, opto  
te meritâ ut lauru Musa Salana beet.

*Brevi hoc carmine dilectum suum fratrem pro sum-  
mis in arte medica honoribus differentem,  
prosequi voluit, debuit*

**Andreas Ruperti Pastor**  
Bartelfeld. Osterhag. & Stein.

**F I N I S.**